



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitatio Ethica De Virtute Heroica Et Semivirtutibus

Weiss, Johann
Schmoll, Wilhelm Bernhard

Giessæ Hassorvm, 1664

VI. Nullus vir magnus extitit absque afflatu divìno. Cic. I. 2. de nat.
Deorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35917

speciale, & ad finem eundem tendunt sed tantum externo splendore & summo perfectionis gradu, quæ videl. virtus heroica est in eminentissimo statu supra communem sortem posita Piccol. loc. cit. c. 5. p. 537. seqq. Zwing. in annot. inl. 7. Eth. Nic. 1. p. 427. Wallis. dod. misc. quæst. Eth. quæst. 10. Plurimum Rever. Dn. D. Wendeler. Amicus noster certissimus phil. pract. sect. 2. c. 12. quæst. 3. p. 471. seqq. Wendelin. phil. moral. lib. 1. c. 4. quæst. 3. p. 147. seqq. Hendoorn. Eth. Perip. lib. 2. c. 19. quæst. 2. p. 377. seq. & Witzendorff. ethic. th. 186. p. 69.

V. *Virtus heroica consistit in mediocritate.*

Non respectu sublimioris gradus & eminentia, quæ communes superat virtutes, & rectè dicitur extremitas; sed respectu rationis formalis, cum & hæc ipsa virtus sit ratione viri prudentissimi definita, atq; ita inter excessum & defectum constituta. Sagitt. l. c. th. 2. p. 397. Wendelin. l. c. c. 3. quæst. 1. §. 7. p. 144. & Clar. Reyher. Amicus noster sincerus in marg. phil. syn. Eth. th. 297. p. 687.

VI. *Nullus vir magnus extitit absque afflatu divino. Cic. l. 2. de nat. Deorum.*

Per *afflatum autem divinum*, quo agitantur heroës, intelligitur non (1) *raptus* aliquis *fanaticus*, sed *singularis* honestatis *ardor à Deo inditus*, unde postmodum mirandi ad magna tentanda impetus exsurgunt. Non (2) *afflatus immediatus*, omnem disciplinam & assuefactionem excludens; sed *mediatus*, respiciens causas secundas, (præclaræ scilicet indolem, optimam institutionem & frequens actionum virtuosarum exercitium) quas ita instruit, ut operi magno absolvendo pares esse possint. Non (3.) *influxus Dei*

Dei *generalis*, omnibusque hominibus concessus; sed *specialis* & *extraordinarius*, quo aliqui saltem præ cæteris percelluntur. Nec (4) *Afflatus specialior & gratiosus strictè* ita dictus, renatis seu electis proprius; sed *specialis*, quem in operibus extraordinariis, ut & in singulari bonorum naturalium & virtutum communicatione videre licet. Saggitt. l. c. th. 3. p. 401, seq. Wedelin phil. moral. l. c. quæst. 2. p. 144. seqq. Henr. Nic. Gymn. Ethic. exerc. 6. thel. 2. §. 7. pag. 197. Spengler. exerc. Ethic. 12, art. 1. præcept. 1. in d. 5.

VII. *Facta heroica sunt supra communem regulam Luth. in c. 22. & 29. Genes.*

Cùm enim heroës (1) non *ordinariis*, sed *extraordinariis* à Deo *dotibus* sint instructi, hinc facta eorum (2.) non fiunt *secundum*, sed *supra vulgarem regulam*: ac proinde nos, qui privilegio hoc speciali sumus destituti, imitemur heroës (3) non in iis, quæ sunt mirabilia; sed in iis, quæ sunt *imabilia*: Quæq; (4) vocationi nostræ non *repugnant*, sed ad omnes *pertinent* homines. Bernh. in conc. de S. Mart. & Schüb. phil. mor. lib. 3. cap. 13. ax. 3. p. 319.

VIII. *Exitus heroum est felicissimus.*

Nequaquam autem attendendum est, quid *per accidens* fiat: evenire enim solet, ut heroes interdum, vel vehementiâ spirituum, vel insolentiâ & malitiâ quâdam seducti, semetipfos dent præcipites; vel fraude, invidiâ, & violentiâ aliorum circumventi, in extremas conjiciantur miseras; sed quid futurum sit *ex intentione Dei*, qui respicit insigne bonum per heroes, actus heroicos exercentes, gloriosè exhibendum. D. Nic. Zapff, Fautor magnus, phil. pract.